



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio quinta. Quid sit subiectum in theologia, vtrum Deus an aliud.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

suo fidei tertio modo, pro habitu, quo practice deducuntur aliqua ex articulis fidei, & ex dictis sacre scripture. Hi autem habitus sunt de diuersis obiectis, vel per diuersa media, vt infra patebit, quando quaeretur de subiecto Theologiae. Quare &c.

6. Manifestum etiam est ex alio, hos habitus esse diuersos, quia primus est infusus, & per hoc differt ab aliis duobus, qui sunt acquisiti. Et illi inter se differunt: quia secundus est declaratiuus articulorum, & defensiuus fidei, ita quod articuli sunt conclusiones in illo habitu, sed in tertio habitu se habent, vt principia, ex quibus quedam alia deducuntur.

7. Contra hoc autem dicunt quidam, quod dato quod Theologia includeret predictos tres habitus, non propter hoc sequeretur, quod ipsa non esset scientia vna, quod ita dicunt, ad vnam scientiam plures habitus concurrunt, videlicet habitus principiorum, ex quibus scientia procedit, & plures habitus plurium conclusionum. Non enim oportet in vna scientia esse vnam conclusionem tantum, imo sunt plures, secundum pluralitatem passionum subiecti. Et ita pluralitas habituum non excludit vnitatem scientiae.

8. Istud enim nihil valet, nec in se nec in proposito. In se quidem, quia licet plures habitus possint ad vnam scientiam concurrere extrinsece per modum cuiusdam antecedentis, vt habitus principiorum: seu per modum comitantis, vt habitus opinatiuus circa vnam quodammodo scibilibium: impossibile est tamen, quod intrinsece & essentialiter plures habitus concurrant ad vnam scientiam. Quia impossibile est, & contradictionem implicans, quod superius multiplicati pertineat intrinsece ad naturam vnius sui inferioris, sicut impossibile est, quod plura animalia pertineant essentialiter ad naturam vnius hominis, sed habitus est superius ad scientiam: ergo impossibile est, quod plures habitus pertineant intrinsece, & essentialiter ad vnam scientiam. Imo hoc modo sicut vnum plurificatur, & reliquum: vt sicut animalia intrinsece pertinentia ad hominem, plurificantur plurificationis hominibus, & e contrario: sic habitus intrinsece pertinentes ad scientiam, plurificantur plurificationis scientiis, & e contrario. Item in proposito instantia illa non valet, quia dictum fuit, quod in hac quaestione accipitur scientia large pro omni habitu cognitionis, & ideo idem iudicium est, quo ad vnitatem & pluralitatem in scientia sic accepta, & de habitu cognitionis: quia idem sunt, & pro eodem accipiuntur.

9. Ad primum argumentum in oppositum, dicendum quod scriptura loquitur ibi de sola cognitione fidei quantum ad illa, quae sufficiunt ad sancte viuendum. Theologia autem pluribus modis accipitur, quam pro cognitione solius fidei, vt prius dictum fuit. Itaque licet scriptura loquatur ibi in singulari, hoc tamen non fuit ad insinuandam vnitatem scientiae Theologicae, aut ad excludendum pluralitatem, de quibus sacra scriptura nunquam se intromisit: quia in eodem libro Sapientiae, 7. cap. signanter dixit idem Sapiens Deus dedit sapientiam horum quae sunt, & enumerantur multa, quae non pertinent ad vnam scientiam, sed ad multas. Nos etiam consueuimus dicere, aliquem esse magnae scientiae, quando sit habitus in pluribus scientiis, & non in vna tantum.

10. Ad secundum dicendum, quod habere vnam rationem cognoscibilitatis, potest accipi tripliciter: duobus modis ex parte obiecti, & vno modo ex parte medii, vel modi cognoscendi. Ex parte obiecti possunt aliqua habere vnam rationem cognoscibilitatis per praedicationem, vel attributionem. Per praedicationem, sicut omnia entia naturalia conueniunt in ratione mobilis, quae praedicatur de eis: & secundum istam rationem pertinet ad vnam scientiam, quae traditur in libris Physicorum. Sed per illam nesciuntur passionem propriam singulorum entium naturalium sed solum communes, quae conueniunt eis, in quantum mobilia sunt, & de hac non procedit argumentum: nec de illa communi ratione, quae est per attributionem ad aliquid vnum, principaliter in scientia consideratum. De hac enim procedit tertium argumentum: sed tantum procedit de illa communi ratione cognoscibilitatis, quae est ex parte modi cognoscendi, vel medii per quod fit cognitio, videlicet de ratione reuelabilis. Esse enim reuelabile, non est aliud, quam esse cognoscibile ex dicto alterius, seu per autoritatem: & talis communis ratio non sufficit ad hoc, quod

omnia, quibus ipsa est communis, pertineat ad vnum habitum: alioquin si omnia, quibus assentiretur per autoritatem, pertinerent ad vnum habitum, pari ratione omnia, quibus assentiretur per demonstrationem, pertinerent ad vnam scientiam, & omnia, quibus assentiretur per medium Dialecticum, pertinerent ad vnam opinionem: & sic non esset, nisi vna scientia, & vna opinio: quod est inconueniens. Vnitatem ergo reuelabilis nullo modo sufficit ad vnitatem Theologiae.

11. Ad tertium dicendum, quod attributio aliquorum ad subiectum scientiae, facit quod illa cadunt sub eadem scientia cum subiecto. Deus autem non est subiectum, nisi in Theologia secundo modo dicta, vt postea patebit. In Theologia autem primo & tertio modo sumpta, subiectum est idem, scilicet opus meritorium: sed quia procedunt per diuersa media, videlicet per diuinam autoritatem, & per humanam persuasionem: ideo sunt diuersi habitus.

QVAESTIO QVINTA.  
De subiecto Theologiae.

Th. 1. p. q. 1. ar. 7. Cap. q. 4. Prologi.

Consequenter quaeritur de pertinentibus ad materiam seu ad subiectum Theologiae.

1. Et quaeritur, quid sit subiectum in Theologia, vtrum Deus, an aliquod aliud. Et arguitur, quod Deus non sit subiectum, quia omnis scientia debet habere subiectum, de quo probetur, quod ei insint aliquae passionis: sed Deus non est huiusmodi: ergo non est subiectum theologiae, nec alicuius scientiae. Maior patet ex primo Posteriorum, vbi dicitur quod omnis scientia est vnius generis, subiecti partes & passionis considerans. Minor videtur manifesta: quia Deus nullas habet passiones, cum nulla habeat accidentia.

2. Item si Deus esset subiectum in Theologia, aut hoc esset sub ratione absoluta, vel sub aliqua alia ratione determinata. Non sub ratione absoluta: quia nihil infinitum, sub ratione infinita, potest esse subiectum scientiae finitae: quia scientia fortitur rationem ab obiecto. Sed Deus sub ratione absoluta est infinitus, & sub ratione infinitatis acceptus. Ergo vt sic non potest esse subiectum vel obiectum Theologiae nostrae, quae finitatem habet. Nec sub alia determinata ratione: quia ad subiectum, sub ratione formali subiecti, attributionem habent omnia, de quibus de terminatur in scientia. Sed multa determinantur in theologia, quae nullam attributionem habent ad Deum sub aliqua vna speciali ratione. Ergo &c.

3. Item si Theologia esset de Deo, aut procederet per causam & a priori, aut per effectum & a posteriori. Sed theologia nullo istorum modorum potest procedere ad probandum aliqua de Deo. Ergo Deus non est subiectum in ea. Maior videtur de se manifesta. Minor probatur: quia deus esse trinus: non habet causam: nec per aliquem effectum potest concludi de deo, quod sit trinus. Ergo &c.

4. IN CONTRARIUM arguitur: illud est subiectum in Theologia nostra, quod est subiectum in Theologia sanctorum: quia scientia nostra, & Beatorum, non videntur differre ex parte obiecti, sed modi cognoscendi, vt innuit Apostolus, 1. ad Corin. 13. Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem faciem ad faciem: nunc cognosco ex parte: tunc cognosca scicut & cognitus sum. Sed in scientia Beatorum subiectum vel obiectum est Deus, & sub ratione absoluta. Ergo & in nostra.

5. Item, aut Theologia est de Deo, vt de subiecto, aut de creatura, aut de ente communi vtrique. Non potest dici, quod sit de creatura, vt de subiecto, quia tunc non consideraret de Deo, nisi quantum ad causalitatem creaturae: quod videtur esse falsum. Nec est de ente communi Deo & creatura: quia tunc non consideraret in speciali de Deo & creatura, sed solum in quantum sunt entia: quod iterum est falsum. Relinquitur ergo, quod ipsa sit de Deo vt de subiecto. Ad idem est quia ipsa denominatur ex hoc Theologia, quasi sermo de Deo.

6. RESPONSIO. Theologia tripliciter accipitur, sicut in prima quaestione exposuitur: ideo quaestio ista tripliciter deducitur, secundum triplicem acceptionem Theologiae. Prius tamen praemittitur, quid sit esse subiectum in scientia, & quae sunt de ratione subiecti. Est ergo sciendum, quod nunc quaeritur de subiecto, in quo est scientia. Sic enim omnium scientiarum est vnum subiectum scilicet

In Prolog. Sententiarum

scilicet intellectus. Sed inrendimus de subiecto scientiæ, de quo est scientia. Et tale subiectum oportet habere tres conditiones. Prima est, qd sit aliquid incoplexum. f. terminus & non propositio. Secunda est, qd si primò & principaliter in scientia considerari, & qd omnia alia habeat attributa de quo est ipsum. Tertia est, qd aliqua possint prædicari de ipso denominatiue. Ratio primæ conditionis est: quia illud est subiectum scientiæ, quod est subiectum cõclusionis demonstratæ, sed subiectum conclusionis demonstratæ est terminus incomplexus, & non propositio. Ergo &c. Minor patet, sed maior probatur: quia scientia est habitus cõclusionis demonstratæ: & ideo illud est subiectum, de quo est scientia, & de quo est aliquid demonstratum in conclusione scita. Demonstratur autem prædicatū de subiecto, & nõ econuerso. Ergo subiectum conclusionis scitæ, est subiectum scientiæ. Propter quod magis proprie est subiectum, qd obiectum: non quide subiectum in quo, sed de quo. Obiectum enim proprie sumptum, est illud, quod primò & principaliter cognoscitur. Quod autem primò & principaliter cognoscitur scientiæ, est conclusio demonstratæ, quæ cõinet subiectum & passioem. Et ideo cõclusio demonstratæ, proprie dicitur obiectum scientiæ: sed subiectum conclusionis demonstratæ, est subiectum scientiæ proprie dictum, de quo alia sciuntur: quia de ipso alia demonstrantur. Vnde secundū hoc illa cõparatio, qua dicitur, qd sicut se habet obiectum ad potentiam, ita subiectum ad scientiam, non est vera secundū omnem sensum. Obiectum enim potentie est illud, quod primò & directè cognoscitur: sed subiectum scientiæ nõ est illud, quod primò & directè scitur: sed est illud de quo passiones demonstratæ sciuntur. Veruntamen in hoc potest esse vera cõparatio, qd sicut omnia, quæ cognoscuntur ab aliqua potentia, habent attributionem aliquam ad principale obiectum, sic illa omnia quæ determinantur in scientia, habent attributionem ad subiectum.

7. Et hæc est secunda cõditio subiecti in aliqua scientia. Cuius ratio est, quia vnitatis scientiæ est a subiecto, sicut dicitur primo Posteriorū, qd scientia vna est, vnius generis subiecti partes & passiones consideras: sed nõ esset vna a subiecto, nisi subiectum primò & principaliter consideraretur & alia per cõparationem ad ipsum. Si enim subiectum nõ cõsideraretur principaliter, qd alia, nõ magis attenderet vnitatis scientiæ secundū subiectum, qd secundum alia. Rursus si aliqua nõ haberent attributionem ad subiectum scientia non esset vna: quia diuersa cõsideraret, & quidem vt diuersa, & non vt aliquo modo vnum. Ergo &c.

8. Ratio tertij est, quia omnis scientia probat de subiecto aliquas passiones vel aliqua per modum passionum: sed passio, vel quodcumq; acceptū per modum passionum, prædicatur de subiecto denominatiue: ergo oportet qd de subiecto scientiæ possint aliqua prædicari nõ solum essentialiter, sed etiam denominatiue.

9. Hoc supposito, inquirendum est de principali proposito, f. quid sit subiectum in theologia. Et primo secundū primam acceptionem, videlicet prout dicitur habitum, quo assentimur his, quæ in sacra scriptura traduntur, & prout in ea traduntur. Et dicendum, qd subiectum in Theologia sic accepta est actus meritorius, vel actus salutaris, seu ordinabilis ad beatitudinem. Quod patet duabus rationibus, & quibusdam autoritatibus tam sacre scripturæ, qd dāctorū. Prima ratio talis est: illud est subiectum in quacunq; doctrina, cuius cognitio est finis proximus in ea: sed in sacra scriptura cognitio actus humani meritorij, vel ordinabilis in beatitudinem, est finis proximus. Ergo, &c. Maior patet. In omni enim doctrina cognitio subiecti secundum se, & secundū ea, quæ ei attribuuntur, quæritur tanq; finis proximus. Et dico, proximus, quia in scientia speculatiua perfecta cognitio subiecti, est finis proximus, & finis simpliciter, quia ad nihil aliud ordinatur, in quantum huiusmodi. Sed in scientia practica, licet cognitio subiecti sit finis proximus, nõ tamè est finis simpliciter: quia ordinatur ad aliquid aliud, vltra. f. ad exteriorē operationem.

Et sic patet maior minor sic. Scribitur. 2. ad Ti. 3. Ois scriptura diuinitus inspirata, est utilis ad docendū ad arguendū ad corrigendū ad erudiendū in iustitia: & sequitur quis sit finis: Vt perfectus sit homo dei, ad omne opus bonū instructus. Ecce qd instructio de bono opere, quod est

Quæstio. V.

actus meritorius vite æternæ, est finis, saltē proximus, sacre scripturæ. Et hæc fuit minor: sequitur ergo conclusio.

10. Secunda ratio talis est: illud est subiectum in aliqua doctrina, quod est primum, & principaliter cõsideratum in ea, & ad quod attributionem habet omnia, de quibus determinatur in ea: sed actus humanus meritorius primò & principaliter consideratur in sacra scriptura, & ad eum habent attributionem omnia, quæ determinantur in ea: ergo actus meritorius est subiectum. Maior patet ex secunda cõditione subiecti prius posita. Sed minor probatur: quia quæ in tota sacra scriptura a principio Gen. vsq; ad finem Apocal. habentur (præter ea, quæ proponuntur nobis credenda de Deo in se, vel de Deo incarnato) omnia illa habent claram attributionem ad opus meritorium.

Sunt enim vel præcepta bene operandi, quæ traduntur nobis per Decalogum, quantum ad præcepta iuris naturalis, & in aliis locis scripturæ, quantum ad alia præcepta: vel exempla bonæ operationis, quæ traduntur in libris historialibus: vel monita salutaria, quæ traduntur in libris Salomonis: vel præmia, & pœnæ, quæ proponuntur bene & male operantibus: vt patet in Prophetis. Et idè est in nouo test. Hæc autem, vt de se patet, attributionem habet claram ad opus meritorium. Quæ autem proponuntur nobis credenda de deo in se, vel de filio incarnato, vt nobis proponuntur per sacram scripturam, attributionem habent ad opus meritorium. Illa enim, quæ sacra scriptura proponit nobis credenda de Deo, nõ proponit nobis principaliter propter cognitionem, quam habemus de eis per fidem, cum illa sit ineuidensissima, & quæcumq; est ex parte nostra, possint esse nõ verorū: sed proponuntur nobis talia, ad credendū: tñ quia ipse actus credendi, cū debitis circumstantiis, est opus meritorium, ita qd non solum proponuntur nobis talia vt credantur, sed etiam ipsum credere proponit nobis, vt actus meritorius vite æternæ, iuxta illud Ioan. 30. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius dei viui, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Item proponuntur nobis, vt regula operis meritorij, & vt adiuantia nos ad bene operandū. Et hoc est satis clarum, quantum ad articulos, qui sunt de Christo incarnato. Oes enim ad hoc tendunt, vt cognoscamus, qd merito Christi incarnati passus, & sic de aliis, restituti sumus ad statum merendi. Iuxta quod scriptū est Gal. 4. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum ex muliere, tactum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, & vt adoptionem filiorum reciperemus. Et cū hoc ipsa incarnatio & passio exempla fuerunt operis meritorij: illa quidem humilitatis, hæc autem patientiæ & charitatis. Quod inducit B. Petrus, primæ Canonice. 2. cap. Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Et rursus. 4. c. Christo igitur in carne passus, & vos eadem cogitatione armamini. De solo autem articulo Trinitatis, non est clarum, qualem attributionem habeat ad opus meritorium. Habet tamen: quia nõ solum proponitur nobis articulus, vt credatur (quod ad cognitionem atinet), sed proponitur nobis ipsum credere, tanq; aliquid maxime meritorium, propter maximam difficultatem obiecti: tum quia articulus necessarius est ad cognoscendum personam incarnatam, cuius fides directè habet attributionem ad opus meritorium, vt dictū est: tñ quia proponitur nõ solū vt credamus, sed vt credamus qd deuenimus ad clarū intellectū articuli tanq; ad finem & mercedem operis meritorij. Finis autem in agibilibus habet rationem principij, cuius est per se habitudo ad ea, de quibus est doctrina. Patet igitur quod omnia, de quibus tractatur in sacra scriptura, habent attributionem ad opus meritorium. Et hæc fuit minor. Sequitur ergo conclusio principalis, scilicet, quod actus meritorius, vel salutaris, seu ordinabilis in beatitudinem, est subiectum in sacra scriptura.

11. Ad idem sunt plures autoritates sacre scripturæ, in quibus ipsa vocatur scientia salutis: quia docet opera salutaria, vel meritoria. Introducitur enim sacra scriptura, vt loquens de se ipsa, Prou. 8. Qui inueniet me, inueniet vitam: & hauriet sibi salutem a Domino. Et Luc. 1. dicitur, Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum. Et iterum Rom. primo Apostolus: Nõ enim erubescio euangelium: virtus enim Dei in illo est

Nim. 6.

Nuperrimè.

ad salutem omnium credentium. Et Act. 13. dicitur: Nobis verbum salutis huius missum est. Et in pluribus aliis locis scripturae, inveniuntur quaedam consimilia. Item August. s. lib. de Trinitate ca. 4. dicit sic illa tria, propter quae in animo edificanda omnium diuinorum machinamenta consurgunt, sunt Fides, Spes, & Charitas. Item de laude charitatis sic dicit: Ille tenet, & quod pater, & quod later in diuinis codicibus; vel sermonibus qui charitatem seruat in moribus. Ecce q. dicit, omnes libros & sermones diuinos, de hoc principaliter esse, q. virtuose operemur per fidem, spem, & charitatem. Hoc est meritorie operari. propter quod opus meritorium esse videtur illud, de quo principaliter tractatur in sacra scriptura. Vnde qui dicunt contrarium, aut non viderunt sacram scripturam, aut scienter auertunt oculum considerationis ab eius contu-itu. Omnes enim concedunt, q. principalis necessitas & vtilitas sacrae scripturae est, q. homo ordinetur ad beatitudinem supernaturalem, quae excedit naturalem cognitionem hominis. Propter quod, vt homo ad hunc finem posset dirigere actus suos, necesse fuit aliquam doctrinam per reuelationem haberi, quae traderet cognitionem huius finis & operum, quae ad ipsum meritorie perducat. Et haec est sacra scriptura, quae (exclusa praedicta causa) nullam necessitatem vel vtilitatem videtur habere. Propter quod principalis consideratio sacrae scripturae, est de opere, per quod beatitudo supernaturalis potest acquiri.

Tho. 1. q. 1. art. 1.

q. 1. m. 9.

q. 96. prol. m. 25.

12. Contra haec autem, quae dicta sunt, potest sic obijci Theologia praedicto modo accepta, & fides, sunt idem, vt supra probatum fuit: sed opus meritorium non est obiectum vel subiectum fidei: ergo nec Theologiae praedicto modo acceptae. Minor probatur, quia articuli, qui sunt principaliter crediti, non sunt de opere meritorio, sed de Deo. Et dicendum est ad hoc, q. fides potest accipi, vel secundum suam totam latitudinem, scilicet prout se extendit ad omnia quae credita sunt reuelatione diuina: & sic est idem, quod Theologia, de qua nunc loquimur: & habet idem subiectum, scilicet opus meritorium: quia secundum omnes tota causa necessitatis fidei est illa, quae dicta est de necessitate Theologiae, vel sacrae scripturae. Et ideo ex illa necessario debet concludi, idem subiectum esse vtrobiq. Vnde accipiendo sic fidem, minor est falsa. Alio modo potest accipi fides, secundum quandam arctationem ad illa, quae secundum se habent excellentioris dignitatem, & amplioris difficultatem: & sic dicitur fides articulorum, quae sic praecise accepta, est de Deo: quia omnes vel principaliores articuli sunt, Deum esse trinum, incarnatum, passum, & huiusmodi. Et de fide sic arctata procedit probatio minoris. Et licet fides sic praecise accepta, non sit de opere nostro meritorio, vt de subiecto, sed de Deo sub ratione Saluatoris (vt postea dicitur) tamen omnes articuli qui sunt de Deo, sub praedicta ratione attributionem habent ad opus salutare, seu meritorium, modo quo declaratum fuit in secunda ratione. Et hoc idem dicitur in symbolo Niceno, quod cantatur in missa, vbi dicitur sic: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus est, &c. Et sic de singulis articulis. Quod etiam trahitur ex diuersis locis sacrae scripturae, vbi expresse dicitur, q. omnia, quae fecit Christus, vel passus est, ordinabantur ad nostram salutem, ita scilicet, vt nos haec credentes, & ex eis spem salutis accipientes, ac exarscetes in dilectione Dei operemur opera meritoria nostrae salutis, secundum quod ipse Saluator operari nos docuit, verbo pariter & exemplo. Propter quod, sicut nauta considerat astra & motum astrorum, non secundum se & absolute, sed prout sunt regula nauigandi ad determinatum portum, vt patet de stella, quae dicitur nautica, & de consimilibus, secundum quorum situm nauigatio est rata vel periculosa: sic fides & sacra scriptura considerant de Deo incarnato, passio, & sic de aliis, non secundum se, & absolute, sed in quantum sunt quaedam adiutoria, iuuantia, ac dirigentia nos ad nauigandum per mare huius seculi, vsque ad portum salutis. Et ideo, sicut in arte nauigatiua astra & motus astrorum non sunt subiectum, sed nauigatio: sic in fide absolute sumpta, seu in Theol. prout nunc sumitur, Deus sub quacumq. ratione sumptus, non est subiectum, sed opus meritorium. Et sic patet quid sit subiectum in Theol. sumpta primo modo.

13. NVNC videndum est, quid sit subiectum in Theologia sumpta secundo modo s. pro habitu, quod defendatur, & declaratur ea, quae tradunt fides & scriptura sacra. Et dicendum, q. subiectum in ea est Deus. Et primo declarabitur hoc, & secundo ostendetur, sub qua ratione Deus ibi sit subiectum. Primum patet sic: Illud est subiectum in scientia, quod est subiectum in conclusione, principaliter illata & scita: sed deus est subiectum in conclusione principaliter scita & illata in Theo. vt nunc accipitur: ergo deus est subiectum in Theologia. Maior patet ex prima conditione subiecti supra posita. Minor probatur, quia Theologia, quae defenditur & declarat fidem, & ea quae tradit scriptura, principaliter defendit & declarat articulos qui sunt de Deo, secundum se, vel de Deo, vt incarnato: ita q. tales articuli sunt conclusiones, principaliter illatae in Theol. vt prius dictum fuit. Causa autem est, quia licet tota scriptura, principaliter fidei inniat: si de enim tenemus non solum, quod Deus est trinus & vnus, incarnatus, & passus & huiusmodi: sed etiam, q. opus nostrum potest esse vite aeternae meritorium, & multa talia: tamen istorum quaedam habent rationem principii in sacra doctrina: habent etiam specialem difficultatem, vt articuli qui sunt de Deo. Alia autem sunt, quae magis habent rationem conclusionis, nec habent specialem difficultatem, suppositis articulis: sicut q. dilectio diuina sit meritoria vite aeternae. Hoc enim facilliter concluditur ex articulo incarnationis sic: Illud quod Deus dixit, verum est: sed Christus, qui fuit verus Deus & homo, dixit, Io. 14. Qui diligit me, diligitur a patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Et quasi infinita talia possunt inueniri in scriptura, quae concluduntur ex principalibus articulis: nec in talibus est aliqua difficultas, nisi illa, qua implicat articuli, ex quibus concluditur. Et ideo scriptura non indiget defensione, vel declaratione: quantum ad conclusiones, de quibus est, sed quantum ad principia, ex quibus procedit. Principia autem, ex quibus sacra scriptura procedit modo doctrinae, sunt principales articuli, qui sunt de Deo subiectiue: ergo Theol. quae est habitus defendens, & declarans scripturam, cum concludat vtrumq. articulum, vel possibilitatem articuli, est de Deo subiectiue.

q. 4. m. 6.

14. Nunc restat inquirere, sub qua ratione sit subiectum, vtrum sub ratione absoluta, quae Deus est, an sub aliqua ratione determinata, puta sub ratione glorificatoris, vel alia quacumq. tali. Et videtur quibusdam, quod sub ratione absoluta: quod probant primo ex ambitu subiecti sic: Subiectum secundum suam rationem formalem, debet ambire, & fundamentaliter continere omnia, de quibus tractatur in scientia: sed nulla ratio attributalis potest esse talis: ergo secundum nullam rationem attributalem potest deus esse subiectum in Theologia. Maior patet, quia tantum extendit se consideratio scientiae, quantum formalis ratio subiecti. Medicus enim in tantum considerat neruum, in quantum est susceptiuus sanitatis, quae est subiectum medicinae, vt habet Philos. Et similiter est in omnibus aliis. Minor probatur, quia considerat Theologia multa de Deo dicta secundum substantiam. Omnis enim ratio attributalis dicitur de Deo per modum accidentis: substantia autem non habet attributionem ad accidentia, sed potius conuerso. Item Theologia considerat multa, quae conueniunt Deo secundum se, & non per respectum ad creaturas, sicut esse aeternum, trinum, & vnum, & huiusmodi. Talia autem non habent attributionem ad illud, quod competit Deo per respectum ad creaturas: sicut est ratio glorificatoris, vel redemptoris, Ergo, &c.

15. Secundo probant idem, ex habitu subiecti ad passionem sic: Illud, quod quaeritur in scientia, tanquam aliquid probandum de alio, non est subiectum, sed potius passio vel proprietates subiecti: sed esse glorificatorem, quaeritur in Theologia, tanquam aliquid probandum de alio: ergo esse glorificatorem, non est formalis ratio subiecti Theologiae. Maior patet: quia omnis scientia supponit suum subiectum secundum suam formalem rationem, nec probat ipsum de alio, sed alia de ipso. Minor similiter patet: quaeritur enim in Theologia, vtrum Deus sit glorificator, sicut quaeritur, vtrum sit sapiens vel omnipotens. Ergo, &c.

16 His autem non obstantibus, attendi, quod in Theologia, de qua nunc loquimur, Deus est subiectum, non sub ratione absoluta, sed sub ratione determinata. Quod patet sic sub eadem ratione est Deus subiectum in Theologia, de qua nunc loquimur, & in fide articulo, sed in fide articulo Deus est subiectum non sub ratione absoluta, sed sub ratione determinata: ergo Deus non est subiectum in Theologia sub ratione absoluta. Maior patet: quia sicut supra dictum est, illud idem, & sub eadem ratione, est subiectum in scientia, quod est subiectum in conclusione principaliter illata, sed articuli fidei sunt conclusiones principaliter illatae in Theologia, prout nunc loquimur, ut supra declaratum est: ergo idem & sub eadem ratione est subiectum in Theologia, & in fide articulo, ita quod Theologia, & fides articulo, non differunt quantum ad subiectum, sed solum quantum ad modum attendendi. Et haec fuit maior. Minor probatur, scilicet quod in fide articulo Deus non sit subiectum sub ratione absoluta, sed sub ratione determinata: quia sicut probatum fuit in prima quaestione, licet fides, secundum suam formalem rationem, possit esse simul in eodem, & de eodem, de quo est scientia: tamen fides accepta secundum specialem materiam, qualis est fides articulo, de qua sola loquuntur Theologi, non est de aliquo scibili pro statu viæ, quia nec articuli possunt demonstrari, nec rationes adductae contra articulos possunt scientificè solui, ut probatum fuit supra. Ex hoc sic arguitur: Deus non est subiectum in fide articulo sub illa ratione, sub qua multa possunt probari de ipso demonstratiue & scientificè, alioquin inueniretur aliquis articulus fidei qui posset viatori demonstrari: sed de Deo sub ratione absoluta, qua Deus est, possunt multa probari demonstratiue & scientificè, verbi gratia, quod Deus est vnus, quod Deus est intellectualis, & similia: Ergo Deus sub ratione absoluta non est subiectum in fide articulo, sed sub aliqua ratione determinata.

N. 11. 12.

N. 11. 13.

q. 1. 11. 42.

17 Quae autem est ista ratio: credo quod sit ratio Saluatoris: quod patet primo: quia illa est ratio subiecti in aliquo habitu, quae in illo principaliter attenditur & consideratur, & quae continet alias fundamentaliter, & per illas explicatur. Exemplum de corpore mobili in scientia naturali. Sed ratio Saluatoris est huiusmodi. Principaliter enim in fide intenditur. Nunquam enim fuit fides, nec in statu innocentiae, nec post lapsum, quin explicitè contineret Saluatorem: non sic autem est de aliis. Item haec ratio continet alias fundamentaliter, & implicitè, scilicet est incarnatus, passum, resurrexisset, ascendisse in caelum, venturum ad iudicium: quibus explicatur, qualiter Deus salutem nostram operatus est. Et ipse articulus Trinitatis continetur implicitè etiam in ratione Saluatoris, propter determinationem personae saluantis nos meritorie: quae est principale obiectum completæ salutis. Ergo Deus sub ratione Saluatoris, est subiectum in fide articulo.

18 Secundo patet idem sic: Sub illa ratione Deus est subiectum in fide articulo, sub qua maxime habet habitudinem ad opus meritorium: sed talis est ratio Saluatoris: ergo, &c. Maior patet quia principia oportet habere per se habitudinem ad conclusionem: articuli autem fidei sunt principia respectu eorum, quae in sacra scriptura concluduntur de opere meritorio, ut dictum fuit prius: ergo oportet illud, quod subiicitur in fide articulo, habere habitudinem ad opus meritorium. Minor similiter probatur: quia illa ratio habet maxime directam habitudinem ad opus meritorium, quae includit aliquam rationem finis, & aliquam modum perueniendi ad finem. Hoc patet, quia in agibilibus, finis habet rationem principii, ut habetur 2. Phys. Sed ratio Saluatoris includit finem operis meritorii, scilicet salutem, & implicitè modum perueniendi ad hunc finem: ergo Deus sub ratione Saluatoris maxime habet habitudinem ad opus meritorium. Et haec fuit minor. Sequitur ergo conclusio, quod Deus sub ratione Saluatoris, sit subiectum in fide articulo, & in theologia, quae est fidei declaratiua & defensiuæ. Ad hoc facit, quod ille, de quo omnes articuli loquuntur, nomen Saluatoris accepit, ut dicitur Mat. 1. & Luc. 1. & 2. cap.

19 Ad rationes alterius opinionis respondendum est. Cum enim primo dicitur, quod subiectum debet continere fundamentaliter omnia de quibus determinatur in scientia: concedatur. Et ad minorem dicens est, per interem-

ptionem. Ad probationem respondendum est dupliciter: Primo, quia attributio aliorum ad formalem rationem subiecti, non est secundum ordinem causalitatis in essendo, vel in habendo subiecto: quia si sic esset, tunc dicta secundum substantiam, non haberent attributionem ad dicta per modum accidentis: nec dicta de Deo absolute, ad ea quae dicuntur de deo in respectu ad creaturas. Sed non est sic: Videmus enim quod formalis ratio subiecti in scientia naturali, est ratio mobilis, ad quam habet attributionem ratio quæritæ: & ad generabile ratio compositi ex materia & forma, quæ ad substantiam pertinent. Ex hoc enim quod aliquid est mobile, probamus quod sit quantum, ut patet 6. Phys. Et ex eo, quod est generabile, probamus, quod sit compositum ex materia & forma: ut patet primo de generatione, & 2. Phys. Et constat quod hæc attributio non secundum ordinem causalitatis in essendo vel in inherendo. Non enim propter hoc aliquid est quantum, quia est mobile, sed e converso: nec propter hoc aliquid est compositum ex materia & forma, quia est generabile & corruptibile, sed e converso. Ergo attributio, quæ habet ea, de quibus determinatur in scientia ad rationem formalem subiecti, non est secundum ordinem naturæ & causalitatis, sed secundum ordinem cognitionis. Sic enim subiectum cum sua formali ratione est suppositum in scientia, itaquam præcognitum. Cætera autem de subiecto inquiruntur. Et hoc modo nihil prohibet, dicta per modum substantiæ, habere attributionem ad aliquid dictum per modum accidentis, (quia accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est, ut dicitur 1. de Anima.) & ea quæ dicuntur absolute, ad ea quæ dicuntur respectiue. Nam operationes diuinae, transeuntes ad creaturam, natae sunt deducere nos in cognitionem aliquarum perfectionum, quæ Deo absolute conueniunt. Et sic ad rationem Saluatoris, licet sit denominatiua & respectiua, possunt habere attributionem alia dicta de Deo absolute & secundum substantiam. Secundo, quia dicta de Deo secundum substantiam, & absolute, non pertinent proprie ad Theologiam: utpote, quod Deus sit substantia intellectualis, vel aliquid tale: quia ad Theologiam, & ad fidem, secundum materiam, in qua loquimur, ut Theologi, non pertinet proprie, & per se, ea quæ possunt de Deo demonstrari. Et huic concordat, quod dicit Aug. de Trinitate. Huic scientiæ illud tantummodo attribuitur, &c. Sed talia supponuntur, ab alia scientia Metaphysica, vel Naturali, quæ innituntur lumini naturali: & cum de talibus inquirat Theologus, assumit formam Philosophi, & transgreditur limites Theologi.

20 Ad secundum argumentum dicendum, quod in Theologia supponitur Deum esse Saluatorem: quo supposito, inquiritur modus, scilicet per meritum suæ incarnationis, passionis, & huiusmodi. Et si quis inquirat, an Deus sit saluator, simile est, ac si Naturalis inquirat, an aliquid sit mobile. Unde argumentum falsum supponit. Sic patet secundus articulus, scilicet quid sit subiectum in theologia, quæ est habitus defensiuus fidei, & declaratiuus.

21 NVNC videndum est de tertio, scilicet quid sit subiectum in Theologia, prout dicitur habitus eorum, quæ deducuntur ex articulis fidei. Et sicut dictum fuit supra, non videtur quod ex articulis aliquid proprie speculatiuum deducatur: sed potius ad articulum declarandum adducitur. Si tamè aliquid deducatur, idem est subiectum in tali habitu, & in fide articulo. Cuius ratio est, quia in demonstratione, & in omni ratione syllogistica concludente directe, subiectum conclusionis sumitur idem, & sub eadem ratione, qua in minori propositione. Minor enim extremitas subiicitur in conclusione, & præcipitur semper in propositione minori. Sed in omni eo, quod speculatiue deducitur ex articulo, articulus tenet locum minoris propositionis. Et maior sumitur, tanquam nota in lumine naturali: ut si arguatur sic: Vbi cumque est vnitas essentiae in pluribus suppositis, impossibile est distinctionem esse secundum absolutam: sed in Deo est sic, cum Deus sit trinus & vnus: ergo, &c. Patet, quod hic articulus sumitur pro minore propositione: similiter in aliis: ergo subiectum talis conclusionis, & per consequens talis habitus continetur idem, & sub eadem ratione in articulo, non ut prædicatum est, sed ut subiectum, si arguatur in prima figura, in cuius virtute alia concludunt: propterea quod ad primam reducitur. Ergo idem

est subiectum conclusionis deductæ ex articulo, & articulo. & per consequens, Theologia sic accepta, & articulo fidei. Quid autem sit illud, dictum est in secundo articulo questionis. Magis tamen fit in hoc, quod nullius scientiæ est deducere aliquid speculatiuum ex articulo, quia talis deductio, in nullo, aut modicum perficeret intellectum. Practicè autem multa deducuntur ex articulis, utpote, quod humiliter est viuendum exemplo Christi, qui seipsum exinanauit, formam serui accipiens, ut dicitur Philip. 2. multa, imò quantumcumque graua, sustinenda sunt pro salute, exemplo Christi, qui passus est pro nobis, & salute nostra: sicut arguit Beat. Petrus. 1. Can. ca. 2. ut dictum est supra, Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum &c. Et simili modo ex aliis articulis multa deducuntur, quæ etiam modicum & quasi in nullo, perficiunt intellectum quoad cognitionem: mirabiliter tamen promouent affectum & bonam operationem. Et cum coplures, & consimiles deductiones per sacra scripturam fiant, patet quod Theologia accepta pro habitu eorum, quæ ex articulis deducuntur, coincidit cum sacra scriptura: propter quod de subiecto eius, & ratione subiecti, idem est dicendum, quod de subiecto sacrae scripture dictum est supra, scilicet quod opus meritum est in ea subiectum.

22 Ad primum argumentum dicendum, quod dictum Philosophi primo Posteriorum intelligitur de scientia potissima, seu propter quid, in qua demonstratur passio de subiecto per causam passionis, sed scientia quia, quæ procedit ex effectu ad causam, non concludit semper passionem de causa sed concludit quandoque solum de causa quia est. Et ideo subiectum in tali scientia non oportet habere aliquas passiones realiter differentes ab ipso. Et si in tali scientia concludatur de causa quia est, non solum accipiendo esse secundum adiacens, sed & tertio adiacens, ut quia est intelligens vel volens, vel aliquid huiusmodi, sufficit quod ista differant à subiecto ratione. Et per hunc modum potest haberi scientia de Deo tam acquisita, quam infusa.

23 Ad secundum dicendum est quod Deus est subiectum in Theologia quæ est fidei defensiva & declaratiua. Ratio autem formalis subiecti, est ratio Saluatoris, ad quam habent attributionem omnia, de quibus determinatur in Theologia, ut dictum fuit prius. Non nego tamen, quod Deus sub ratione absoluta, non fit subiectum in Theologia, propterea quod illa ratio est infinita, ut tangatur in arguendo. Illud enim non valet, quia siue accipiatur infinitum pro eo, quod formaliter importatur per nomen infiniti, quod est priuatio finis: siue accipiatur pro re subiecta infinitati, semper de infinito potest esse haberi scientia finita. Quod patet, quantum ad primum modum. Eiusdem enim scientiæ est, considerare habitum & priuationem: quia rectus est iudex sui & obliqui. Ergo scientia, quæ considerat rationem finiti in quantum materia, siue in quantitate, molis, siue virtutis, habet considerare rationem infiniti, quæ ei opponitur priuatiue. Primum potest scientia finita: ergo & secundum. Vnde & Philo. 3. Phys. tradit scientiam de infinito. Sed ratio infiniti non potest esse primum subiectum. Quantum ad secundum, patet idem: quia si repugnaret scientiæ finitæ, esse de re infinita, tota ratio repugnantia esset non propter rem, sed propter rei infinitatem: quia quantum ad hoc solum, apparet ibi oppositio secundum finitum & infinitum. Si ergo scientiæ finitæ non repugnat tractare de ratione infinitatis, ut statim ostensum est, multo minus repugnat ei considerare rem subiectam infinitati. Et mirum est hoc negare, cum Deus secundum illud quod est, & non secundum aliquam specialem rationem, sit obiectum scientiæ beatorum, quæ finita est. Et si dicitur, quod scientia sortitur rationem ab obiecto: verum est, sed non vniuocam cum obiecto: alioquin scientia de motu esset mobilis: & scientia, quam habemus de lapide, esset lapidea: quod est absurdum. Quare similiter non oportet scientiam de infinito esse infinitam.

24 Ad tertium dicendum, quod scientia strictè & proprie accepta non potest hic haberi de Deo, quod sit trinus, neque per causam, neque per effectum, sicut probat argumentum: sed accipiendo scientiam largè, pro quantumque notitia declaratiua articulo, siue per autoritatem, siue pro quantumque apparentia probabili, quibus posset persuaderi eorum veritas, sic de articulis potest esse talis scientia, & talem dicimus esse Theologiam.

25 Ad argumenta alterius partis respondendum est: ad primum, quod scientia viatoris, per quam declarantur articuli: & aliquantulum deriuntur, & scientia Beatorum, non differunt solum ex parte luminis & modi cognoscendi, sed etiam ex parte obiecti. Scientia enim Beatorum, est præmiata nostrum: propter quod eius obiectum est Deus, sub ratione qua potest capacitate intellectus repleri, quod non potest facere aliqua determinata ratio attributalis. Sed scientia quam habemus de Deo in via, dirigit nos ad opus meritum: & ideo subiectum in ea est deus, secundum rationem illam, quæ maxime respicit meritum. Et hæc est ratio Saluatoris, ut declaratum fuit. Veruntamen quia ratio absoluta latior est, ratio Saluatoris, & ea includit: ideo visio patrie clara est de omnibus, de quibus nunc est fides ænigmatica, & non e conuerso. Propter quod, quicquid nunc videmus ænigmatica, tunc videbimus facie ad faciem: & sic fidei succedet visio de eodem, & non adæquata, imò superexcedens.

26 Ad secundum dicendum, quod in Theologia, quæ literarum accepta non consideratur de Deo secundum ea, quæ ipsi absolute conueniunt, sed solum in habitudine ad creaturas: vnde ratio Saluatoris, secundum quam consideratur de Deo, est respectiua.

27 Ad tertium dicendum, quod habitus non semper denominatur à formali ratione subiecti, sed fit quodque denominatione à digniori. Et quia in opere nostre salutis dignius est illud, quod est ibi ex parte Dei quam illud, quod est ibi ex parte nostra: ideo Theologia, quæ est scientia nostre salutis, denominatur à Deo.

#### QVAESTIO SEXTA.

Theo. 1. q. 1. ar. 4. Scotus q. 4. 9. 5. Prolegi.

Deinde queritur, verum Theologia sit practica, an speculatiua. Et videtur, quod sit speculatiua: quia nobilissima scientia est gratia sui, ut dicitur primo Metaphysicæ, sed Theologia est nobilissima scientia: ergo est gratia sui contra scientia practica, non est gratia sui, sed operis: ergo Theologia non est practica, sed speculatiua.

2 Item Fides, & Theologia accepta pro sacra scripture, sunt idem habitus, ut dictum fuit: sed fides est habitus speculatiuus: ergo & Theologia.

3 IN contrarium est, quia scientia quæ dirigit ad operationem bonam, est practica: sed Theologia dirigit ad operationem bonam, ut patet Iacobi pri. Estote factores verbi, & non auditores tantum, & simile habetur in com. pluribus locis: ergo &c.

4 RESPONSTIO. Circa questionem istam videntur tria. Primum est, a quo denominatur scientia speculatiua, vel practica. Secundum est, supposito quod a fine, verum a fine proximo, an remoto. Tertium est, applicare ista ad propositum, inquirendo scilicet, verum Theologia sit practica, an speculatiua.

5 QVANTVM ad primum, sciendum quod distinctio scientiarum secundum speculatiuum & practicum, est a fine formaliter, à subiecto autem originaliter & radicaliter. Primum patet, quia scientia dicitur speculatiua ab actu speculandi, vel à speculatione, ut ipsi nomen insinuat. Practicaverò ab operatione extra intellectum per eandem rationem. Praxis enim Græcè est operatio Latine, non quantumcumque, sed extra intellectum. Speculatio autem, & operatio, sunt fines scientiarum ergo distinctio earum secundum speculatiuum & practicum, est formaliter ex parte finium. Maior patet ex vi nominis. Minor declaratur, quia omnis habitus est finaliter propter operationem, quæ est secundum habitum illum: vnde & felicitas, quæ habet rationem finis, non est habitus, sed operatio secundum habitum perfectissimum, ut vult Philosophus. 1. & 10. Ethic. Operatio autem secundum habitum scientiæ, est speculatio vel praxis. Ergo speculatio, & praxis, sunt fines scientiarum. Quod autem operatio secundum habitum scientiæ, sit speculatio, vel praxis, patet: Cum enim scientia attaingit suum obiectum per suam operationem, illa operatio vel est sola cognitio veritatis circa obiectum, quæ speculatio dicitur, vel est cognitio dirigens in faciendum obiecta, sicut ars domesticana præbet cognitionem dirigentem in faciendum domum, & medicinalis in causando sanitatem. Et talis operatio praxis dicitur ratione vterioris operationis, ad quam dirigit. Ergo speculatio & praxis sunt operationes scientiarum, & fines earum, secundum quorum differentiam formaliter distinguuntur scientiæ secundum speculatiuum & practicum.